



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Virtutibus Moralibus, De Justitia Et Jure Et De  
Contractibus

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, MDCCXXXIII.**

**VD18 90392159**

Q. 16. Cuinam res vendita perit, vel deterior sit?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40993**



officii sui lege cavere ex parte sua, ne quis inde aliquod damnum patiatur; & aliàs daret occasionem damni aliis inferendi. Imò si emptor non aliter consentit in contractum, nisi posita conditione, quod res careat tali vitio licet non noxio, & venditor expressè id cognoscit, aut in verbis emptoris, aut verisimiliter ex aliis signis, aut conjecturis, quocunque pretio res vendatur, fit iniustitia emptori, accipiendo pretium non detecto vitio: quia tunc contractus est nullus, cum consensus emptoris fuerit conditionalis, & desit conditio, cui alligatus erat.

*Q. 16. Cuinam res vendita perit, vel deterior fit?*

*Resp. I.* Si res vendita pereat post traditionem, fide de pretio data, perit emptori, etiamsi pretium nondum solverit; quia emptor est illius Dominus, cum per traditionem supposito titulo dominium rei acquiratur, res autem perit Domino suo.

*Resp. II.* Si res pereat ante traditionem, sitque res certa, ac determinata, ut hic equus, hic grex, &c. perit emptori, ex variis legibus & ex *Instit. de empt. § vendit.* ratio est legum dispositio, quæ etsi impediunt dominium ante rei traditionem; tamen statuunt, ut effectus ex eo profluentes, & omnia rei commoda, ac incommoda post perfectam venditionem pertineant



tineant ad emptorem, perinde ac si jam translatum esset dominium rei, ex l. 1. *Cod. de peric. & commod. rei vendit.* & l. 22. *Cod. de act. empt.* Emptio autem, & venditio perficitur solo consensu mutuo contrahentium, seu simul atque de merce tradenda, & solvendo pretio determinato convenerint, dum sine scriptura res agitur, ex *instit. sup.*

Si tamen morâ, vel culpâ levi venditoris, qui tenetur rem custodire, donec tradiderit, res fiat deterior, vel pereat, vel si ita conventum sit, ipse tenebitur de damno. Item si venditio fiat sub conditione, & res pereat ante conditionis eventum, perit venditori: quia venditio sub conditione non est perfecta ante conditionis eventum, l. 7. ff. *de contrab. empt.* &c. ibi: *conditionales venditiones tunc perficiuntur, cum impleta fuerit conditio.* Ideoque ante illius eventum periculum, & detrimentum rei pertinet ad venditorem. l. 10. ff. *de jure dotium.*

*Resp. III.* Si res sit indeterminata quoad individuum, ut si emanantur sex modii tritici ex granario, sex oves ex grege: vel si res sit determinata quoad mensuram tantum aut numerum, v. g. totum acervum tritici uno aureo in singulas mensuras, vel hunc gregem taxato pretio in singula capita, &c. tunc ante traditionem, aut mensurationem, vel numerationem res perit venditori, qui proinde tenetur restituere pretium, si erat solutum. Quia ejusmodi



modi venditio censetur fieri sub tacita conditione, si venditor tradiderit tot oves, mensus fuerit tot modios tritici, &c. ita l. 35. ff. de *contrab. empt.* &c. Si tamen constitutus fuerit terminus, in quo res numeranda, vel mensuranda esset, & emptor monitus in mora sit, periculum rei deinceps emptoris erit: unde pereunte toto grege, vel acervo emptor pretium amittet l. 5. ff. de *peric. & commod. rei vend.* & l. 2. *Cod. eod. tit.*

*Resp. IV.* Cum ex duabus rebus una disjunctivè venditur, v.g. ex duobus equis unus, non determinando utram, si ambæ pereant post venditionem absolutè factam, emptor tenetur solvere pretium promissum, licet nihil receperit. Si verò alterutra duntaxat pereat, perit venditori, qui tenetur alteram tradere, l. 34. ff. de *contrab. empt. & vend.*

**Q. 17.** *An venditor potest fructus, & utilitates rei venditæ percipere, donec solvatur pretium?*

*Resp.* Secluso titulo lucri cessantis, vel damni emergentis non potest, si rem emptori tradiderit pretio promisso. *Est communis.* Quia tunc rei dominium translatum est absolutè in emptorem, ex l. 19. ff. de *contrab. empt.* res autem Domino fructificat, nec licet quidquam exigere præcisè ob dilationem solutionis: quod verum est etiam si emptor sit in  
mora